





DE CODICILLIS
ET CLAUSULA CO-
DICILLARI,

Disputatio III.

16175.

Tractans de causis, materiali & formali.

De qua,

21.

Auspicio patris luminum, à quo omnis
donatio bona, & omne donum perfectum è
supernis descendit,

In almâ Academiâ patriâ,

PRÆSIDE

CASPARO BITSCHIO J.V.D.
ET PANDECTARUM P.P.

Publicè respondebit

Die Martij

ANDREAS SCHOLLIUS
ARGENTORATENSIS.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS CAROLI.

M. DC. XVII.

012
ILLVSTRI AC GE-
NEROSO DOMINO, DOMINO
JOHANNI GEORGIO CZIGAN, LIBERO
Baroni de Slupska, Domino in Freistadt &
Savvda, &c. Domino suo clementi.

Nec non

MAGNIFICO, STRE-
NUO ET NOBILISSIMO VIRO
DOMINO MICHAELI KREPS AB
Alnfelt, Sacri Lateranensis Palatij, Aulaq; Cæ-
sareæ, & Imperialis Consistorij Comiti,
Vasallo ac Equiti Imperiali, &c. Do-
mino suo gratioso.

*Hanc de Codicillis clausulâq; Codicilla-
ri Disputationem tertiam,*

Submissè inscribit

Andreas Schollius
Respondens.

DE CODICILLIS ET CLAUSULA CODICILLARI,

Disputatio III.

I.

IN causa materiali Codicillorum considerabimus, quænam res codicillis dari vel relinqui possint.

2. Et breviter quidem atq; summatim dicere possumus; Codicillorum, ut Codicillorum, materiam propriam esse fideicommissa: sive, ea tantum codicillis relinqui posse, quæ dantur verbis precarijs. *vid. disp. 1. §. 8. & 10.*

3. Sed ut distinctius & explicatius rem proponamus, repetenda huc est divisio codicillorum, *in d. disp. 1. §. 14. & 18.* tradita: quod Codicilli alij sint confirmati testamento, alij Non confirmati: & hii rursus, vel ad testamentum, vel ab intestato facti.

4. Codicillorum testamento confirmatorum materia eadem est quæ & testamentorum: sola hereditate (*de qua infr. §. 10. 11.*) excepta. In his itaq; non tantum relinqui possunt fideicommissa *pr. I. h. t.* atq; etiam adimi *l. 31. §. 1. ff. de adim. leg. vel fideicom. & libertates fideicommissariae l. 2. §. 2. ff. h. t. & fideicommissaria hereditas, sive fideicommissum universale, §. 2. I. h. t. l. 2. C. h. t. verum etiam dari legata d. pr. I. h. t. l. 6. §. ult. l. 7. §. 1. l. 8. §. 3. l. 14. pr. & §. 1. & l. ult. ff. eod. Gajus 2. Institut. 7. §. 9. & libertates directæ l. 43. ff. de man. test. l. 2. §. 2. l. 4. l. 8. §. pen. ff. h. t. l. 96. §. ult. ff. de leg. 1. & tutores l. 3. l. ult. ff. de test. tut. l. 2. C. eod. l. 1. §. 1. ff. de conf. tut. necnon bonorum inter liberos divisio fieri l. 30. §. 3. ff. de adim. leg. l. 15. ff. de his que ut indign. & confirmatio Codicillorum aliorum scribi l. 5. ff. h. t. §. 1. l. eod. & legatorum atq; etiam hereditatis testamento datæ, adeoq; & legatariorum & heredum, declaratio *l. 38. ff. de cond. & demonstr. l. 36. l. 77. ff. de her. inst. l. 10. ff. de cond. inst. Item in ijs adimi (sive in solidum, sive ex parte) legata possunt, quæ data erant**

inst. Itemq; possunt, quæ data erant

erant testamento *pr. I. de adempt. & transl. leg. l. 16. pr. ff. de vulg. & pup. subst. l. 2. § 1. ff. de cond. indeb. & adimi etiam libertates Vlp. t. 2. regul. § ult. & tutor testamento datus reprobari, vetariq; ne sit tutor l. 8 ff. de test. tut. l. 2 C. eod. t.*

5. Cujus rei ratio est: quia confirmatio in testamento facta, quæ horum codicillorum merum principium est *l. 12. § 5. ff. de capt. & postlim. revers. ijs jus & auctoritatem tribuit l. 14. pr. ff. h. t. & arg. § 10 l. de fidei com. her. 36. ff. de leg. 2. & t. 24. in pr. regular. Vlpian. arg. etiam l. 3 § ult. l. 16. ff. de jure Cod. nec non arg. l. 26. §. ult. ff. de test. tut. & dict. supr. disp. 1. §. 10. ut proinde pro parte testamenti habeantur d. l. 14. pr. ff. h. t. l. 11. ff. test. quemad. ap. & quæ in ijs scripta sunt, perinde habeantur, ac si in testamento scripta essent l. 2. § 2. ff. h. t. l. 3. pr. ff. de test. tut.*

6. Codicillorū autē testamēto non confirmatorū, materia propria sunt fideicommissa § 1. l. h. t. l. 4. C. eod. t. Vlpian. t. 25. Regul. § 8. Gajus lib. 2. Inst. t. 7. § 9. Paulus 4 sent. 1. § 10 & quidē non tantū pecuniaria (ut appellantur à Paulo in l. 39. ff. de fid. lib.) quò etiam referimus divisionem bonorum inter liberos codicillis non confirmatis factam l. 39. § 1. ff. fam. ercisc. l. 30 § 3. ff. de adim. leg. l. 15. ff. de his quæ ut indign. sed etiam libertates l. 43. ff. d. man. test. l. 24. §. 11. l. 38. ff. de fid. libert. l. 1. l. 11. C. de test. man. nec solum singularia, sed etiam universalia § 10. l. de fid. her. § 2. l. d. Codic. l. 2. C. eod. t. Non certè libertates directæ d. l. 43. ff. de man. test. nec tutelæ l. 1. § 1. ff. de confir. tut. l. 2. C. eod. t. nec legata quatenus legata l. 13. § 1. ff. h. t. d. § 10. l. de fid. her. Vlpianus & Gajus dd. locis. Valebunt hæc tamen, sic de facto data, ut fideicommissa: postquam Imp. Iustinianus legata & fideicommissa exæquando, ex naturâ fideicommissorum suppleri voluit id quod legatis deest l. 2. C. Comm. de leg. & fid. § 3. l. de legat. Tutores autem his Codicillis de facto dati, sive dati sint verbis precarijs sive directis, non jure dati erunt: quia vel non dati sunt quomodo oportet, vel saltem non ubi oportet l. 1. § 1. de confir. tut. confirmabuntur autē à magistratu d. l. 1. § 2. cum ll. seqq. ex qua confirmatione auctoritatē accipient l. 26. inf. ff. de test. tut. perinde ut priore genere Codicillorum dati ex confirmatione testamentaria. §. 8. 5.

7. Nec distinguimus hîc inter codicillos ab intestato conditos, & codicillos ad testamentum factos. Nam & in his sola fideicommissa relinqui possunt, sive testamento sint anteriores sive posteriores. Nusquam enim aut hos aut illos legimus exceptos: sed è contrario,

contrario, codicillis huiusmodi testamento anterioribus, sola fideicommissa relinqui posse, patet ex § 1. *l. h. t. & l. 22. § 6. ff. ad l. Corn. de fals.* Idemq; de codicillis testamento quo confirmati non sunt, posterioribus colligitur ex *l. 3. § ult. & l. 8. § ult. h. t.* Et expressè de hoc genere codicillorū non confirmatorū qui ab intestato factis opponuntur, dicitur in *l. 43. ff. de man. test.* quòd libertates directæ in ijs datae non valeant. Et ut quævis in codicillis data valeant, confirmationem aut antecedentem, aut sequentem, requirit *l. 6. C. h. t.*

8. Ratio verò ob quam fideicommissa, & quidem sola, non etiã legata propriè dicta, aliaq; quæ directò dantur, codicillis testamento non confirmatis relinqui possint, est hæc: quia fideicommissa non ex rigore Juris civilis proficiuntur, sed ex voluntate dantur relinquentis *Vlpian. in frag. t. 25. §. 1. l. pen. ff. de leg. 1. l. 95. de leg. 3. l. 16. C. de fideicom.* ideoq; etiam non immeritò ejusmodi elogij ultimi genere, quod voluntatem relinquentis explicat, licet non ex rigore Juris civilis constitutum, sed tantum humanitatis & utilitatis ratione receptum sit; neq; etiam ejus elogij, quod Juris rigore constitutum est, confirmatione nitatur; dari permittuntur. At ut in eadem laxiore & benignè admittenda, nec aliundè ritè confirmata, ultimæ voluntatis specie, quis legare, hoc est legis modo, & imperativè (sive legatis, sive libertatibus, sive tutoribus dandis *l. 120. de V. S.*) decernere, *Vlp. in frag. t. 24. in pr. &* ut Justinianus in *Nov. 22 c. 2.* loquitur, *ἡ δὲ τῆς ἐπιπέρας* velit; id quidem certè rationi parum videtur consentaneum.

9. Quòd verò in specie etiam in ipsis codicillis ab intestato factis, & ab ipsis legitimis heredibus, & ab intestato bonorum possessoribus, aliquis fideicommissa relinquerè potest; cum aliàs rogando obligare nemo possit eum, cui nihil dederit, quive non ex ipsius judicio, sed fortuitò, hereditatem aut partem ejus consecutus sit: *l. 6. § 1. ff. de leg. 3.* id receptum est ideo: quòd qui codicillos ab intestato facit, videatur spontè legitimis heredibus hereditatem dare *l. 8. § 1. ff. h. t.* eo ipso scil. quòd non adimit *l. 1. § 6. ff. de leg. 3.* & quasi heredes eos facere aut scribere *l. 3. pr. & § 1. ff. h. t. l. 126. ff. de leg. 1* ut sic non suo jure, sed judicio (tacito scil.) defuncti ad hereditatem ejus perveniant, *arg. l. 13. pr. ff. h. t. l. 53. ff. d. leg. 2. l. 40. pr. ff. d. leg. 3.*

10. Ut ut autem tum codicillis ab intestato factis, hereditas tacitè videatur dari legitimis heredibus, ut *θ. preced. dictum.* Ut ut etiã

in codicillis testamento confirmatis legare, hoc est legis modo & imperativè dare liceat: tamen neq; in illis neq; in his, & omninò in nullo codicillorum genere, hereditatè expressè & directò, adeòque ut hereditatem propriè dictam, dare aut adimere ullo modo licet. § 2. *I. h. t. l. 2. § ult. l. 6. pr. l. 10. 13. § 1. ff. eod. l. 2. l. 7. C. eod. l. 77. ff. de her. inst. l. 10. ff. de cond. inst. l. 76. ff. ad SC. Trebell. l. 5. § 2. C. de nec. serv. her. inst. l. 14. C. de test. Vlpian. in frag. t. 25. § 9. præterquam militi l. 36. in pr. ff. de test. mil.*

11. Quod quidem non sine ratione receptum: tum, ne per codicillos, qui ex testamento valerent, ipsum testamentum, quod vires per institutionem heredum accipit, confirmari videretur, *l. 10. ff. h. t.* tum ne confunderetur ius testamentorum & codicillorum, § 2. *l. eod. t.* tum ne perperam, aut certè frustra, diversa his instrumentis essent vocabula imposita, si codicilli idem possent, quod testamenta *l. 7. C. h. t.*

12. Idq; adeò verum esse statuimus, ut ne quidem in vim fideicommissi, sustineatur hereditas ita data: sive ad testamentum, sive ab intestato factis codicillis data sit. nisi ob favorem pupilli *l. 76. ff. ad SC. Trebell.* ut cunq; contraria opinio, frequentioribus Doctorum calculis, approbata sit.

13. Hæc de ipsorum codicillorum materiâ dicta sint: ex quibus etiam intelligimus, quæ nam specialiter illorum codicillorum, qui per clausulam codicillarem fiunt, sit materia: sive quidnam eo codicillorum genere relinqui possit. Cùm enim sint species codicillorum testamento non confirmatorum, & regulariter quidem eorù, qui ab intestato fiunt *disp. 1. 0. 11. & 17.* consequens est materiam eorum esse fideicommissa: nec quicquam aliud quam fideicommissa ijs relinqui posse *ut supr. h. disp. 0. 6. & seqq.* Sed cùm non de codicillis per clausulam codicillarem factis, verùm de ipsâ clausulâ per se, loquimur; rectè dici videtur, ejus materiam esse testamentum, (abusivè loquendo *l. 2. § 1. ff. testam. quem. aper.* Nec enim parcimus hujusmodi verbis: etiam cum factum magis demonstramus, quàm ad leges, sive jus civile, rem referimus *arg. l. 41 ff. de pecul. l. 10. § 5 ff. de grad.*) quòd codicillorum quidem, at non etiam testamenti requisita habeat: & quidem aut totum testamentum, ut regulariter fieri solet, *l. 3 ff. de test. mil. l. ult. pr. & § 1. 2. C. h. t. l. 11. C. de test. man. l. 29. § 1. ff. qui test. fac.*

pos. aut ejus partē aliquā; cū videlicet testator, non totum testamētum etiam ab intestato, & in vim codicillorum valere voluit; sed tantū ejus partem aliquam: veluti certa quædam fideicommissa, sive pecuniaria, sive libertates: ut fit *l. 13. ff. de inoff. test. d. 77. § 23. ff. de leg. 2. l. 24. § 11. l. 38. ff. de fideicom. libert. & arg. l. 88. § 9. de leg. 2. & l. 6. pr. ff. si quis omis. caus. test. videatur etiam l. 9. 24.*

14. Succedit ut videamus de formali causā. Eam in codicillis considerare possumus duplicem: quarum unam intrinsecam, alteram extrinsecam appellare, & hanc rursus, in substantialem & accidentalem dividere (docendi causa *παχυμερέςερον*, & pingui; quod ajunt, Minervā) nobis liceat.

15. Intrinseca forma ex definitione codicillorum *sup. disp. 1. 9. 8. propositā*, repetenda est: nimirum quod hac ultimæ voluntatis specie, non hereditatem demus, vel aliud quid directò constituamus, sed tantū declarem, quid fieri velimus ab eo in quem aliquid (hoc est vel hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum) contulimus, quæ quidem forma codicillis per se, & non propter aliud, competit. Quod si etiam illud, quod in codicillitestamento confirmatis, propter illam ipsam confirmationem, amplius est, complecti velimus: generalius dicemus, codicillorum formam intrinsecam consistere in eo, quod testator (sive actu sive potestate testator fit) declarat quid fieri velit, postquam aliquis sibi heres factus est.

16. Extrinsecam substantialem formam appellamus, illa certa quædam solennia, quæ in ordinatione codicillorum requiruntur. Et si enim codicilli exquisitè dictam solennitatem ordinationis, hoc est testamentariam, non desiderant, § *ult. l. h. t.* desiderant tamen aliquam: quæ consistit in his quinque; I. in numero testium, (mares an fœminæ sint, nō distinguit Jus nostrū, Ergo nec nos, *arg. l. 8. ff. de Publician. & faciunt huic l. 20. § 6. ff. qui test. fac. pos. l. 1. § 1. l. 18. ff. de test.*) quinario *l. ult. § ult. C. h. t. l. 1. § 1. & 2. C. de Latin. lib. toll. l. ult. C. de don. mort. caus.* In cœci tamen Codicillis, præter testes quinque, etiam adhibendus est tabularius, aut certè ejus loco sextus testis, *l. 8. vers. qui in eundem C. qui test. fac. pos. II. In eorundem testium simultaneâ, ut sic dicamus, præsentia d. l. ult. § ult. h. t. III. In eorundem adhibitione d. l. ult. § ult. C. h. t. l. 22. C. de fideicom.* hoc est compellatione ad auscultandum, ut

Harme.

370
Harmenop. lib. 5. epit. jur. lit. 7. interpretatur. IV. In actus continuatione non interruptâ l. 28. p. C. d. testa. V. In subnotatione sive subscriptione testium, si codicilli in scriptis fiant d l. ult. § ult. C. h. t.

17. Deniq; extrinsecæ accidentali formæ assignamus, varios codicillorum conficiendorum modos: quos quidem nobis suppeditant, tum divisiones codicillorum *disp. 1. proposita*: tum locus Pauli *in l. 8. pr. ff. h. t.* quo vix est ullus alius in toto hoc tractatu, vel frequentius ab interpretibus allegatus: vel minus, aut minus rectè, explicatus.

18. Nos eum sic interpretamur. CONFICIUNTUR CODICILLI QUATUOR MODIS: si scil: subdivisionis membra, cum membris divisionis jungamus: ut in conventionibus l. 5. ff. de pact. capitis deminutione *pr. I. de cap. demin. hominibus l. 4. ff. de I. & I. pr. I. de libertin.* Jurejurando litis decisorio *Rubr. ff. de jurejur.* AUT ENIM IN FUTURUM CONFIRMANTUR, hoc est conficiuntur ex confirmatione, in testamento præcedente factâ; sive conficiuntur ita, ut confirmetur testamento antecedente: AUT IN PRÆTERITUM scil. confirmantur, hoc est conficiuntur ita ut confirmetur testamento subsequente: Cujus confirmationis vi utriq; verbis directis, imperativè, & legis modo fieri, ac proindè libertates, legata, tutores in iisdem dari possunt s. *thes. 4. & 5.* AUT scil. conficiuntur citra confirmationem testamentariam PER FIDEICOMMISSUM, hoc est verbis obliquis & precativis, quæ fideicommissorum sunt propria § *ult. I. de sing. reb. per fid. relict. cum & sola fideicommissa codicillis non confirmatis relinquuntur s. thes. 6.* TESTAMENTO FACTO: hoc est cum testamentum factum est. (Quod quidem rursus fit variè: veluti, I. cum codicilli fiunt post testamentum, nec eo confirmati sunt. l. 3. § ult. l. 8. § ult. ff. h. t. II. cum fiunt ante testamentum, nec eo confirmantur, sed tamen ex indicio quocunq; apparet, testatorem à voluntate in ijs expressa non recessisse l. 5. ff. h. t. § 1. *Inst. r. eod. III.* cum quis testamentum antea factum, quod inutile ruptumve esse intelligit, valere & servari, ut voluntatem scil. intestati, vult; seu, quod idem est, codicillum esse jubet l. 2. § ult. ff. h. t. l. 1. C. eod. IV. cum quis in casum deficientis aut destituti testamenti fideicommissa quædam, vel etiam fideicommissariam hereditatem, ali- quibus relinquit; ut *in l. 6. pr. ff. si quis omis. caus. test. l. 88 § 9. ff. de leg. 2. l. 14. C. d. fideicommiss. V.* quod omnium est frequentissimū, cum quis
in testa...

intestamento suo cavet, velle se id etiam vice codicillorum valere
disp. 1. 0. 4. 11. & 17. VI. cum intestamento posteriore cavet, fidei se
heredis committere, ut priores tabulae valeant: ut l. 12. § 1. ff. de injust.
l. 19. pr. & § 1. ff. de mil. test. l. 29. ff. ad SC. Treb. § 3. I. quib. mod. test. infirm. Et si
 enim hoc ultimum exemplum, etiam ad modum Paulinum secun-
 dum referri possit, quo scilicet: codicilli in praeteritum confirmantur:
 cum in prioribus exemplis omnibus, codicilli ab intestato facti in-
 telligantur. Probabilius est tamen, Paulum id sub hoc tertio modo
 comprehendisse: quia tantum per fideicommissum, non etiam di-
 recto confirmantur: Imò, quia eo casu, proprie loquendo, non tam
 confirmantur codicilli jam antea facti, quam recens conficiuntur,
 antea non facti) **AUT** scilicet: conficiuntur codicilli, & quidem etiam
 per fideicommissum **SINE TESTAMENTO**: hoc est, non tantum ab in-
 testato, sive in casum intestati, ut in plarisque exemplis modi tertij:
 sed etiam, ut nec de facto quidem ullum testamentum conditum
 sit *l. 3. pr. l. 13. § 1. h. t.* Quod quidam vocant, codicillos merè vel omni-
 nò ab intestato facere *vid. disp. 1. 0. 17.* Quod si quis malit illa verba **TE-**
STAMENTO FACTO, & SINE TESTAMENTO, non tam ad factum quam ad
 jus referre: & proinde ultimo modo assignare exempla tria inter-
 media; nimirum, tertium, quartum, & quintum, quae nos sub mo-
 do penultimo recensuimus: id nobis quidem non repugnantibus
 faciet: à communi autem interpretatione, quae clausulam codicil-
 larem sub tertio membro accipit, longius recedet.

19. In clausula quoque codicillari, triplicis illius causa formalis
 imago cernitur.

20. Et quidem intrinseca ejus forma est: quòd per eam testa-
 mentum etiam pro codicillis esse, sive ab intestato valere jubetur. *l.*
3. ff. de test. mil. l. 29. § 1. ff. qui test. fac. poss. l. ult. pr. § 1. & 2. C. h. t. l. 11. C. de man.
test. Qua forma discernitur tum ab alijs rebus, tum à cautione ea,
 qua quis testamentum suum simpliciter, merè, & absolutè, codicil-
 los esse vult: sive ut ab intestato conditos, *l. 1. C. h. t. l. 2. § ult. l. 13. § 1. ff.*
eod. sive ut confirmatos *d. l. 12. § 1. ff. de injust. d. l. 19. pr. ff. de mil. test. cum si-*
milibus, nec non ab ea dispositione, qua non testamentum in codi-
 cillos convertitur, sed in casum ejus deficientis, aliquid fieri jube-
 tur, ut *l. 6. pr. ff. si quis omis. caus. test. l. 88. § 9. ff. de leg. 2. l. 14. C. de fideicom.*

21. Quoad extrinsecam ejus formam substantialem, eadem
 B oportet

662
oportet intervenire solennia quæ in codicillis requiri *supr. 9. 16.* diximus. Alioquin enim nullius momenti erit: codicillos certè non faciet *per l. ult. § ult. C. h. t.* Nec distinguimus an illi ipsi testamento sit inserta, quod in codicillos convertendum est, an verò extra illud explicata: quod fieri utiq; potest, *ut disp. 1. 9. 4. dict.*

22. Ad accidentalem deniq; formam referimus varias formulas aut modos, quibus hæc cautio exprimi vel significari solet: quæ tùm ex divisionibus ejus *disp. 1. traditis*; tum ex ijs, quæ de voluntatis codicillorum faciendorum indicatijs *disp. 2.* sunt proposita.

23. Ex interpretum & pragmaticorum cornucopiæ accessit illud: quòd plurimum interesse vulgò putatur, an testator usus sit tantùm verbo præsentis temporis, *si non valet &c.* aut verbo etiam futuri temporis, sive actualiter, *ut si non valet, aut valebit*: sive potestativè, *ut si non valeret &c. si non valeat &c. si non valere potest &c.* nos id non sine lege tantùm, sed & sine ratione probabili, ac proinde non sine pudore, dici putamus.

24. Nec multò melius est: quòd clausulam codicillarem, aliam concipi ajunt conditionaliter; *ut si non valet jure testamenti, valeat jure codicillorum*: aliam copulativè, *ut volo valere jure testamenti & codicillorum*: aliam alternativè, *volo valere jure testamenti aut codicillorum.*

25. Solennitatis quoq; mentionem, hodiè plarumq; formulis hujus clausulæ inferunt Notarij, dilatandæ orationis studiosi. Per eam tamen, casum testamenti ob præteritionem liberorum, sive jam natorum, sive postumorum, deficientis, excludi negamus. quia & liberorum institutio aut exhereditatio pars solennitatis est, ac communiter statuitur: & plarumq; verba adhuc alia testamentis inferuntur, quæ istam exclusionem non admittunt.

COROLLARIA.

I.

S*I secundum communem opinionem (quæ nimium quàm sæpè ex negligentia, aut affectato applausu oritur) judicandum est: secundum communem opinionem non est judicandum, cum ea erroris convinci potest. Nam & hæc est communis opinio.*

Absur.

I I.

Absurdum & perniciosum dogma est: pluris faciendum esse in iudicijs, si quis habeat pro se glossam, quam textum; quia contra glossam alleganti textum, obijciatur, credis tu quod glossa non ita viderit illum textum, sicut Tu? & non ita bene intellexerit sicut Tu?

I I I.

Qui iure non distinguente distinguit, non solum præter sed & contra jus facit.

I V.

Civitates imperiales in Comitijs habere tantum facultatem explicandi sui consilij, non etiam ferendi suffragij: error est intolerabilis.

V.

Cum ex eligentium numero, aliquis eligi debet, aut potest: potest quis etiam secundum se suffragium dare: quod & exemplis non caret: & per Auream bullam in ipsa Cæsaris electione permissum est.

V I.

Regis filius est, & qui ante regnum à patre acquisitum natus est. ac propterea fratri postea nato, ut primogenitus, in successione præponendus.

F I N I S.

16

V I

V

L I



Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17







B.I.G.

Farbkarte #13

276. 7.



CILLIS

LA CO-

ARI,

I I. 16175.

eriali & formali.

21

n, à quo omnis

num perfectum è

ndit,

niâ patriâ,

E

CHIO J.V.D.

ARUM P. P.

ebit

tij

COLLIUS

ENSIS.

ATI,

CAROLI.

VII.

